

sunt, maxime qui laborant in verbo. Quidam prætabant Ecclesiæ suam operam docendo ac publice concionando, tanquam ordinarii ministri verbi. *Act. XIII.*, v. 23. Ubi Apostoli per singulas ecclesias constituunt presbyteros *Tit. I.* v. 15. *Jac. V.*, v. 14. Quidam erant ἡγεμόνες, qui una cum Doctribus Ecclesiam gubernabant & curauit doctrinæ ac religionis habebant. De quibus *Act. XVI.* v. 2. *I. Timoth. V.*, v. 17. *D. Hunnius in enarrat. I. Tim. V.* pag. 197. *Tremell. in not. ad Ep. I. Timoth. V.*, v. 17. lit. u. *D. Chemnitius in exam. Concil. Trident. de sacram. Ordin. cap. 2.* pag. m. 261. Communiter in Ecclesia dicuntur Presbyteri, Doctores, Pastores; Presbyteri vero in Ecclesia catholica Episcopi. Paulus ecclesiæ Ephesinæ Presbyteros vocat Episcopos *Act. XX.*, 28. Episcoporum nomine Presbyteros intelligit *Phil. I.*, v. 1. Quas virtutes in Episcopo requirit, easdem in Presbyteris spectandas esse docet. *I. Timoth. III.*, v. 1. Titus in Creta constituere debet Presbyteros *Tit. I.*, v. 5. quos ipsos v. 7. vocat Episcopos. Falso ergo *Lessius confid. 9. rat. 2.* interpretatur cœtum episcoporum, Presbyterium. Idem *Bellarmin. lib. 4. de not. Eccles. cap. 8.* *D. Nicol. Hunnius de Romanæ Ecclesiæ Apostasia* §. 112. pag. 147. sq. §. 757. pag. 1282. sq. Ita *2. Timoth. I.*, v. 6. Paulus scribebat: admoneo te, ut exsuscites gratiam DEI, quæ in te est per impositionem manuum mearum. Ita Paulus se Presbyterio non excludit, licet Episcopali frueretur dignitate: nam Apostolatus est Episcopatus *Act. I.*, v. 20. *D. Balduin. in comment. ad I. Timoth. IV.* pag. 290. Hieronymus ad cap. I. ep. ad Tit. p. 5. ut est in Jure canon. dist. 95. cap. 5. Ita scribit: olim idem erat Presbyter, qui & Episcopus. Et antequam Diaboli instigatu, studia in religione fierent & diceretur in populis, ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cepha, communi presbyterorum concilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus